N. 2817.

CURRENDA XI.

A. D. 1858.

Nr. 2807.

Indulgentiæ plenariæ in Forma Jubilæi publicantur.

·/. In annexo ·/. quilibet V. Presbyter accipit per unum, ast Ven. Curatus quisq. per 2. &c. (1. pro aula aliqua) exemplaria Litterarum pastoral. de 4. m. et a. c. N. præs. 130. quarum ope annunciamus *Indulgentias plenarias in Forma Jubilaei* spatio 5 hebdomadum lucrandas cum instructione sequenti.

a) Tenorem earum prævie Ven. Clerus volvat diligenter, atq. ex eis tam motiva assidue precandi, adeoq. et partem *Officii divini* amplam persolvendi i. e. Breviarium recitandi quotidie, quam populum fidelem ad infucatam devotionem flectendi ... hauriat.

b) Argumentum ejus populo fideli Dominica XXV. e suggestu cum unctione perlegat, nec non juventuti scholari, ubi id conducere censebitur, publicet; conditiones vero indulgentias has lucrandi sæpius repetat, atq. effectus earum salutares, ut necessitatem eas sibi aut defunctis applicandi agnoscant, vivide depingat.

c) In reducendo populo ad tramitem virtutis et obfirmando in conceptis justitiæ Xtianæ propositis insudat, atq. hunc in finem Dominica ultima ex Evangelio de judicio div. super Jerusalem et populo olim electo de pœnis temporalibus ei propter obcœcationem obstinationemq. inflictis ... arripiat occasionem verba faciendi de vitiis nunc grassantibus, nec non de pœnis temporaneis populos affligentibus, utpote de variis in pagis aut urbibus aut silvis incendiis; de siccitate vernali et inde jactura foeni aut frugum, pomorumve; de pluvia sub messe; de corruptione cyclaminum; de præsente aquarum defectu &c. ut patescat necessitas placandi Majestatem div. nec non repellendi a se calamitates ob peccata ingruentes, per fervidas preces, emundationem conscientiæ, indulgentiarum consecutionem ...

Hunc in finem adhibere conduceret cuncta illa puncta, quæ in libello: *Przewodnik Jubileuszu* Tarnoviæ A. D. 1851. impresso a pag. 5. a *Przejdźmy się po wioskach*, usq. ad pag. 16. continentur.

Porro Dom. I. Adv. duce Lectione de excitatione ad vitam novam et Evangelio de judicio extremo transire lubeat ad judicium novissimum, quod quisq. nunc ad exordium anni ecclesiastici et temporis indulgentiarum secum tractare, seu strictissimum conscientiæ examen instituere, reatus ac pœnas promeritas agnoscere, contritionem elicere, firmum ad Patrem redeundi propositum emittere, damna reparare, occasiones relapsus fugere, virtutisq. media

arripere in Domino invitatur. Dominica II. Adv. discussa conscientia &c. de emolumentis constantiæ in virtute, de corporis mortificatione; Dominica III. de humilitate implantanda, et Dom. IV. de reparatione scandali ac damni jam animæ jam corpori, substantiæ aut famæ proximi allati.... festo Nativitatis Dni de gaudio ob felicitatem Xtiani renati per Sacramentum Pœnitentiæ et Eucharistiæ.... festo S. Stephani de mansuetudine, misericordia in alios etiam inimicos; festo S. Joannis Evang. de singulari castitate, ejus in Christum charitate, morum integritate, curaq. sibi commissorum... festo SS. Innocent. de permissione div. de patientia in ferenda ob proles &c. cruce victoriaq. subsequa atq. corona &c. &c. perlecto his festis 2. evangelio... cuncta proficua in medium proferre adlaboret.

d) Durante hocce Indulgentiarum spatio sana de ipsis, nec non de præparatione ad Sacr. Pœnit. et Euchar. principia in Catechisationibus propinare juventutemq. ad participationem thesauri nunc expositi perducere satagat.

e) Omni feria IV, VI. et Sab. excepto Sab. Nativitatis Dni N. I. C. post Missam *Rorate*, aut aliam, ad quam plures convenerint fideles, Sanctissimum in pixide exponatur, coram quo post hymnum *Święty*, *Święty*... &c. recitentur clara lentaq. voce Preces: *Modlitwy odpustowe*, separatim nunc editæ; postmodum cantetur: *Przed oczy Twoje*.. *Święty Boże* &c. et in fine: *Chwalmy ten*... ad cujus verba: *Błogosław* detur benedictio aut intonetur loco *Chwalmy: Do Ciebie Panie!* aut: *Boże! w dobroci* aut: *Straśliwego* &c. ad quam intonationem elargiatur benedictio.

f) Collectiones pro Missionibus in Litteris Nostris expressis, nec non pro variis variorum locorum incolis incendio aut exundatione ad incitas redactis, infra exhibitis, instituantur, ac quotæ collectæ fine promovendi ulterius, mediante resp. Offo Dec. ad Nos expediantur, quarum priores pro anno futuro, ubi Missionibus jam anno præs. succursum est, valebunt; secus pro elabente.

g) Facultatem a Sede Apostolica accipiatis dispensandi in Confessionali a votis quibuscumque etiam juratis et Sedi Pontificiæ reservatis, commutando ea in alia pia opera, exceptis tamen castitatis, religionis et obligationis, quæ a tertio accepta fuerit seu in quibus agatur de præjudicio tertii, nec non pœnalibus, quæ præservativa a peccatis nuncupantur, nisi commutatio futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refrænet, quam prior voti materia.

h) Reliqua scitu necessaria in ipsis Litteris Nostris relegantur.

k) De effectu hujus laboris Vestri Fratres in Xto Dilectissimi! indefessi, quem lucrandis animis, reducendis errantibus, obfirmandis debilibus, thesauroq. indulgentiarum ditandis... impendetis, ad resp. Offa Dec. circa exordium anni 1859 deferatis, quæ relationem generalem specialibus Vestris superstructam ad Nos expedire haud tardabunt. Pro coronide adjungimus benedictionem, quatenus ad preces sub Missa Vestras: *Rorate coeli* et alias; item ob desudationes toto hocce *salutis tempore* revera cœli rorarent desuper *justum* et terra *germinet*

in cordibus fidelium *Salvatorem;* imo *nubes pluant* justos et terra gignat salvatores plurimos. In eam profecto spem erigimur fore, Venerabiles Fratres! ut Angeli pacis habentes phialas aureas, et thuribulum aureum in manu sua humiles Nostras, ac totius Ecclesiæ preces offerant super altare aureum Domino, utque Ipse benigno illas vultu excipiens, ac Nostris, vestrisque, et omnium fidelium votis clementissime annuens, velit omnium errorum tenebras dispellere, omnium malorum dissipare procellas, ac rei tum christianæ, tum civili auxiliariam porrigere dexteram, atque efficere, ut in omnibus hominibus una eademque sit fides mentium, una eademque actionum pietas, unus idemque religionis, virtutis, veritatis, et justitiæ amor, unum idemque pacis studium, unum idemque caritatis vinculum, atque ita Unigeniti Filii sui Domini Nostri Jesu Christi regnum in universo terrarum orbe magis in dies amplificetur, corroboretur, atque exaltetur.

In Aedibus Episcopalibus. Tarnoviæ 14. Oct. 1858.

Nr. 2612.

Grates rependuntur pro quotis in rem Missionum africanarum &c.

Suppletorie ad N. 755. in Cur. VII. significamus, summam 64 Rh. et 8 xr. C. M. pro Missionibus in Africa centrali e 5. Decanatibus collectam et quidem 1o e Dec. *Bial.* per 14 Rh. 36. xr. 2o e *Czchov.* per 4 Rh. 12 xr. 3o ex *Oświęc.* per 15 Rh. 4o e *Tarnov.* 10 Rh. et 5o e *Żywiec.* per 20 Rh. 20 xr. C. M. juxta tenorem attestationis Exc. C. R. Cracov. Regiminis de 19. Sept. a. c. N. 25678 ad Altum Ministerium Cultus ac studiorum fine expeditionis ulterioris transmissam esse, pro qua gratias summas exprimentes benedictionem Nostram impertimur divinamq. pro Largitoribus efflagitamus, nec non eleemosynam similem pro ampliando Regno Xti e reliquis Decanatibus expetimus, et Cunctos ad novam concitamus.

E Consistorio Episcopali. Tarnoviæ 23. Sept. 1858.

Nr. 2701.

Collectio pro oppidanis Skałat. publicatur.

Oppidum Skałat in Circulo Tarnopol. 19. Jun. a. c. incendio devastatum deplorat 48 domus et ædificia œconomica, quæ ad 90. familias spectabant. Hæc vocem lachrimabilem ad nos per Altum Ministerium pro internis d. 25. Aug. a. c. N. 19435 et Exc. Regimen Cracov. d. 19. Sept. a. c. N. 25350 attollunt, in cujus sequelam colligite Ven. Fratres obulos, eosq. *quantocyus* ad Nos expedite Exc. Regimini Cracoviam transmittendos.

E Consistorio Episcopali. Tarnoviæ 7. Oct. 1858.

Nr. 2749.

Collectio pro infelicibus incolis oppidi Dunna Földvàr commendatur.

Oppidum hocce in Comitatu Tolna situm 25. Jun. a. c. incendio amiserat 700 domicilia et œconomica ædificia una cum ecclesia et schola, quo infortunio 2000 incolæ tecto et substantia orbati damnumq. ad 700, 866. Rh. C. M. passi ad nos mediante alta Ministeriali Concessione de 16. Sept. a. c. N. 22501. et Exc. Cracovien. Regiminis Intimatione de 29. Sept. a. c. N. 27557. manus extendunt, auxiliumq. implorant.

Instituite Ven. Fratres! collectionem et resultatum ad Nos expedite Exc. C. R. Provinciali Regimini mox submittendum.

Ex Consistorio Eppiscopali. Tarnoviæ 14. Oct. 1858.

Nr. 2723.

Collectio pro infelicibus Bochemiae incolis per inundationes depauperatis instituenda; quotae vero collectae horsum promovendae commendantur, ut sequitur:

Durch die in den ersten Tagen vorigen Monats eingetretenen heftigen Niederschläge und Wolkenbrüche wurden die nord- östlichen Kreise Böhmens und zwar: Bunzlau, Jicin und Königgrätz in den Flußgebiethen der Aupa, der oberen Elbe, Iser, Kamnitz und Neisse durch verheerende Uiberschwemmungen heimgesucht.

Die plötzlich austretenden reißenden Gebirgswässer überflutheten ganze Thalgegenden, setzten die Ortschaften unter Wasser, zerstörten viele Brücken, Strassen und Häuser, beschädigten mehrere der größten Fabriks-Etablissements namentlich bei Reichenberg, verschwemmten große Holzvorräthe und zerstörten viele Grundstücke und Wiesen. Auch war bei diesem Elementarunglücke der Verlust mehrer Menschenleben zu beklagen.

Der materielle Verlust ist, soviel aus den Resultaten der bisherigen Erhebungen schon jetzt hervorgeht, ein sehr bedeutender, und obwohl seitens der k. k. Behörden alles angewendet wird, um dem augenblicklichen dringendsten Bedürfniß abzuhelfen, den obdachlosen Wohnungen zu verschaffen, und die nothwendigsten Lebensmittel aufzutreiben, erscheinen, bei der Unzureichenheit der einheimischen Mittel zur Unterstützung der Verunglückten außerordentliche Hilfsmittel nothwendig.

Der Ehrwürdige Clerus wird demnach im Grunde des Erlaßes des hohen k. k. Ministeriums des Innern vom 28. August 1858 Z. 7341 und der h. Landesreg. Eröffnung v. 19. Sept. l. J. Z. 25672. aufgefordert, die Sammlung milder Gaben zu Gunsten dieser Unglücklichen in den unterstehenden Pfarreien einzuleiten und die dießfälligen Beträge anher einzusenden.

Vom Bischöflichen Consistorium. Tarnow am 7. Oktober 1858.

☞ Additamentum 10 xr. C. M. ad taxam 30 xr. pro Currendis imprimendis a quolibet Presbytero exigitur adhuc, quia hæc 30 xr. ad materialia a. c. imprimenda jam præparata non sufficeret. Perillustres Decani quotam memoratam colligere et immittere haud tardabunt.

Josephus Alojsius,
Episcopus Tarnoviensis.

E Consistorio Episcopali,
Tarnoviae, die 14. Oct. 1858.
PAULUS PIKULSKI, Cancellarius.

Typis Anastasii Rusinewski Tarnoviæ.